

zentiſ Virgilianus. Ter præliatus, inijt bellum Parthicum, Armeniacum, & Arabicum ſicut fortiter, ita feliciter. Fuit Tribunus plebis, & Proconſul, Pontifexque optimus à Senatu appellatus, & Imperator à Senatu acceptus & inter Patritios allectus, qui antequàm imperiũ arriperet Præfectus prætorio fuerit, & procurator priuatæ rei & ſcriba pontificum, quos Pontifices minores vocauit Antiquitas, vt Iulius Capitolinus in eius vita narrat, fuit idem inuerecundi oris, qui ſe nunc ſeuerum, nunc Antoninum (cùm omnibus eſſet odio & hominibus & militibus) nuncupauit. Ideo SEV. in numo legitur, hoc eſt Seuerus. Denique occiſus fuit truncato capite illi, vna cum filio Diadumeno in ſuburbano Bithyniæ cùm in Antoninum Alegabalum exercitus inclinaret, & cùm imperaſſet annum vnum & meſes duos quinquagenario maior, vt refert Egnatius. In auerſa numi parte ſtans mulier ſtolata, quæ altera manu ſtolam ſuſtollit cornucopiam intra cubitum habens, altera haſtam caduceum præferentem tenens, designat fortè quòd Macrinus vberius dederit prætorianis militibus & legionarijs ſtipendium & annonam. Illud hic interim non præteribo animaduertendum, quòd in Numiſmate. OPEL. per, E. literam

legitur, cùm in omnibus impreſſis codicibus per iota

ſcribatur opilius. ſic & opilio apud virgi-

lium (vel vt alij legunt vpilio) ſcribi

tur. an recte, viderint Gram

matici, quibus iſta ad-

iudicare magis

ſpectat.

\*

TRA